

P V I S



1 6 0 3



*Nuptiis secundis*

REVERENDI,  
DOCTRINA ET PIE-

TATE PRÆSTANTIS VIRI, Dn. STE-  
PHANI HERVVIGII, Verbi Dei Præconis  
in pagis Steutz & Rietzmick fidelissimi,

C V M

*Lectissima & honesta virgine, VRSVLA,  
Reverendi & docti Senis, Dn. Nicolai  
Hartzuvigii, Pastoris in Schora vigilan-  
tissimi, &c Filia, Sponsa, Servestæ Calendis  
April, matrimonium contrahentis*

*Anno MDC*

Carmina cum solenni votorum appreciatione  
nuncupata.

AB AMICIS.



SERVESTÆ

Excudebat Iohannes Schleer.

dd.







## EPITHALAMION,



Olluta intra alios Sathanas incesit ovile  
 Christi doctrinâ : moribus illicitis  
 Nos intra ast Verbi mandata coinquinat  
 idem

Semina, dum spurco Vulgus amore furit.

Sancto nec gladio impura cervice resecta

Vulpinus cuculus decidium patitur

Multis corruis qui perfida nequiter ova

Supposuit, stridet dum rota scabra molæ.

O pie Christe tui solita bonitate miserans,

Hoc in ne plectas tanta piacla gregis.

Hæc sponse, igniculos castos meditaris ut orbis

Compare, dum lecto vota secunda facis,

Hæc Sponse ingemina votis : Christumq; rogemus

Verè ut sint thalami vota secunda tui.

*M. Caspar Vtricus.*

### ALIVD.



Sponsa placet Sponso, lecti cui scedere juncta est

Fac nos Christe oculis posse placere tuis.

Nam tua Sponsa sumus, quam assumptæ scedere

Iunxisti aeterno, maxime Christe, tibi. (carnis

Sedibus à nostris Sathanæ depelle furores,

Nec finito sanctum polluat iste gregem.

Pectora bina, ignes, rege tu, meditantia honestos,

Vnum cor, mens sint una, sed una FIDE.

*In nomen Sponsæ*

**N**omine quod signat vel magna minorue ferarum  
Sidereo nomen nulla dat Vrlla tibi.  
Sed vox hæc sancta est, fidei quæ lucis amicum  
Te decorat; sanctus quam decor ille tuus?

*M. Andreas Kennikius.*

ALIVD.

**R**ruas nostris animis Apollo  
Impetu magno, comitate Musis  
Sæ vias, plectro grauiore carmen  
Fundere Phoebe.

Namq; Tithoni thalamo resurgens  
Vxor adduxit toscis labellis  
Festa, quas sacras Stephanus jugales  
Adstare aras;

Musa Parnassi riguis sub antris  
Pieris quem pectora fonte sacro  
Lavit & crines, docuitq; sacri Or  
racula verbi;

Cui chori pridem Charitum decori  
Inter & nymphas satyrosq; agrestes  
Ingenii promunt deferuntq; divi  
Præmia digna

Huic novem, Iò, Palladium sorores  
Huic melos sacræ cytharæ, fluentis  
Albis ad ripas grave personantes  
Edite divæ!

Edite

Edite gratum superis, virisq;  
Carmen, in silvis Helicon canoris  
Quale vos audit gracili sonare

Voce, lyrâq;

Diva dum Peleus Thetidos marinæ  
Ambiit connubia, cui pudore  
Gratiâ, linguâ, & facie vel alma

Delia celsit;

Tale concentu fidium canoro,  
Tale, dum sponder nova pacta nuptæ  
Vester hic miles ligyis in armis,

Reddite carmen.

Huic DEVS, Iô, conjugii, maritum  
Conjugator, flammea signa præfer  
Dexter, & carmen cano nuptiale

O Hymenæ!

Aureas, Iô, cinge comas corollis  
Myrti olentis! Nam vacat hæc tibi lux,  
Quotquot & seris referent in annis

Altra quadrigis.

Huc ades Cypris genetrix virorum,  
Siderum, terræq; potens, amoris  
Vinculum commune laboriosis

Dulce levamen,

Sive te Gnydos tua sive Cyprus,  
Sive te Mavors Thraciis in oris  
Detinet, seu te superum beati

Atria coeli,

Huic ades, tædasq; tuæ puellæ  
Prosperis nunc auspiciis jugales  
Consecra, docti ut thalamo mariti

Suescere possint.

A 3.

Namq;

Namq; necquicquam DEVS ille amantium  
Hymen adstringet duo corda, ni Tu  
Annuas addasq; piis maritis

Pignus amoris.

Fallor: an votis precibusq; castis  
Annuunt Divi? Dedit en secundum  
Lucidis signum Cytherea flammis

Æthere aperto.

Quod cupis, jam sponse capis, petitos  
En tuos mellita subit lacertos  
Sponsa, thelauris Arabum, Indixq;

Dulcior ipsis.

Quod cupis, jam sponsa capis, petito  
En tuo amplexu fruitur maritus,  
Attici dulces redolente meri

Mellis acervos.

Quid times? curisq; animum fatigas  
Sponse necquicquam? dies ista curis  
Anxiis non danda, catenatoq;

Lata labori,

Sed sali, & divo Charitum lepori,  
Sed sali, & divis Charitum choreis,  
Ergo quin curis animum molestis

Exuis agrum.

Quid times? curisq; animum fatigas  
Sponsa necquicquam? Deus ipse sponsum  
Hunc tibi adducit; timidum se pone

Corde timorem:

Hoc viro latere, virum hunc amore  
Mutuo observa, tenerosq; tandem  
Iam puellarum sine firmiori

Pectore coetus.

Sic



Sic anus seros videas nepotes,  
Sic anum feri videant nepotes,  
Et tibi laudum, tibi gratiarum,  
Munera solvant.

Sic mori claudant oculos volenti  
Hi quidem ipsa Nestoriâ senectâ  
Non minores, Te DEVS hinc beatis  
Collocet astris.

Sic bees sponsum Aonio in roseto  
Liberis, cui fila neant sorores  
Ut satur vincat tria tandem avorum  
Secla virorum.

Post sed è cunctis maneat supremum  
Nomen, exaquet sua Sol diei  
Donec, & donec sua Luna opacæ  
Lumina nocti.

*Johannes Ladislaus F. F.*

ALIVD.

**S***incera procerum sodalitatibus  
Si fas, per lachrymabiles procellas,  
Atq; inter feritatem atrocioris  
Fortuna, in cruciatibus profundis,  
Luctu, sollicitudine, & dolore,  
Agnatos, socios, amiculosq;  
Tristari penitissimis medullis?  
Cur non latitias per has, & illas,*

*Per*

Per Fatibonitatem & hanc, & illam,  
Per & gaudia multa mille fas sit  
Agnatos, socios, amiculosq;  
Latari penitissimis medullis?  
Ergo si precibus locus relictus,  
Adeste o tenera, venustulaq;  
Puella Dryades, canora turba.  
Huc huc dulciculi mei phaleuci,  
Huc huc hendecasyllabi tenelli,  
Vos inquam numeri Catulliani,  
Nobis suggerite undiquaq; quantum  
Latet letitia, atq; gaudii usquam:  
Quantum molliculum facietiarum  
Voces addite quaso mollicellas,  
Cumq; illis simul Atticum leporem.  
Sed quid vos socii? o mei sodales,  
O vere unanimes mei sodales,  
Mente gaudia, qua decet sodales  
Vestra, concipite usitationa,  
Nam noster Stephanus, DEO fauente,  
Noster ille recens amicus ecce  
Multas post lachrymas, & ejulatus,  
Mulcis & precibus DEO peractis,

Capit

Capit lacteolam novam puellam,  
Eductam bene, quae pudore plena,  
Quae per noctulas, dieculasq;  
Sit solatiolum sui mariti.  
Nam sol nil propè decoloris Indi  
Regna, nec Scythicas simul pruinas,  
Pulchrius, melius vè cernit unquam.

Est mens candida, comitasq; rara,  
Insignis pietas, modesta vita,  
Continentia, veritasq; simplex,  
Corda candida, candidiq; mores,  
Et quacunq; animum puellularum  
Ornant, hic videas adesse cuncta.

Formam candidula vides puella?  
Qua vincit reliquas suas puellas:  
Ita, ut per varios nitere flores  
Solet flos hyacinthus, emicatq;  
Ut gemmas reliquas Pyropus inter.  
Collum perniueumq;, eburneumq;  
Flantes aspice myrtheos capillos,  
Et frontis nitidae nimis decorem.  
Quondam talis erat Venus venusta;  
Iudicem ut Phrygium moveret ipsum.

B

His

His vultum adjicias, ocellulosq;  
Minutis faculis pares ocellos,  
Qua caeli variè micant ab arce.  
Genas blandidulas tacere nec fas,  
Qua vincunt niveo suo decore,  
Picta lilia per virentia arva,  
Hinc os fulgidulum, atq; dulciora  
Melle labra bono, quibus remotis  
Dentes candidulos micare cernis,  
Nec non humidulam per ora linguam.  
Tandem brachia, & hinc manuscularum  
Per longos digitos, & omne pulchrum,  
Ut corpus modò qua puellularum  
Ornant, hic videas adesse cuncta.  
Verum pontificum cohors nefanda,  
Omnem cuius ab ore veritatem  
Iam dudum pavidam exulare constat,  
Mitratiq; patres, polo soloq;  
Gens inuisa nimis, tenebriones  
Vosq; qui latebras per, & tenebras,  
Et noctis tacitas boatis umbras.  
Vos tandem miseri cuculliones,  
Revera miseri, miserrimiq;

Indocti,

In docti, vetuliq, putidiq,  
Garruli, laceri gravi flagello,  
Inepti, insipidi, meriq, stulti,  
Cessetis decet ore clamitose  
Vestris conjugium vetare chartis.  
Vobis sufficiat valere posse  
Probos pelleret & huc, & huc, & illuc,  
Illorumq, bonis frui licere,  
Et magna imperium tenere terra.  
Ab vos sufficiat, manere semper  
Tantis pro meritis cavam gehennam,  
Cessatote modo DEO imperare,  
Dum qua jussa dedit Deus severus,  
Irrita esse jubetis. O nefandi!  
Nam quis conjugium DEO placere,  
Mandatunq, sacris negabit unquam?  
Ipse cum quoq, pulchra Canea ad ora  
Pompae interfuerit DEVS jugali?  
Nec interfuerit modo, sed illam  
Insuper quoq, juverit falerno?  
Cessatote igitur Deo imperare,  
Dum qua jussa dedit Deus severus,  
Irrita esse jubetis. O nefandi!

B 2

Vobis

Vobis sufficiat valere posse  
Probos pellere & huc, & huc, & illuc,  
Illorumq; bonis frui licere,  
Et magna imperium tenere terra.  
Ah vos sufficiat, manere semper  
Tantis pro meritis cavam gehennam.

Georgius Salmuth Lipsicus.

ALIVD.

SI mihi Pierium præstaret Apollo favorem  
Præberetq; suæ plectra Thalia lyræ,  
Forfitan & doctas quæ possent ire per aures  
Accinerem tædis, Frater amande, tuis,  
Quas repetis, postquam prior est demortua Conjunx,  
Ingrediturq; tuos Vrsula casta toros,  
Vrsula virginei non ultima gloria coetus  
Quæ pietate Deum Sacra suosq; colit,  
Et reliquas superat (quæ lo concedite) nymphas,  
Ore, pudore, manu, sedulitate, fide.  
Nam prognata piis clarisq; Parentibus, illis  
Ne forte indignam se gerat, ulq; studet.  
Præcipue superum ferrem præconia Regi,  
Qui primus socii sanxit amoris opus.  
Nec genus humanum voluit sine Legè, ferarum  
Ritu, se variis conmaculare stupris.  
Sed Leges sanxit mirâ ratione jugales  
Iuxta quas nostrum vivere quenq; decet.  
Cum nemore in sacro tibi costam exemit Adame,  
Ac Evam ex illa nobile fecit opus;

Addu.

Adducensq; tibi hanc: Multos, ait, exigat annos  
Hæc tecum: & pulchra te quoq; prole beet  
Hanc sociam reverenter habe: cui solus adhære,  
Solutus habe solam pectore, solus ama,  
Vna caro vobis, & sit mens una duobus:  
Crescite fœcundo fœmina virq; toro.  
Hinc est conjugio non ullus honestior ordo,  
Nec tam dulce jugum, quam sociale jugum:  
Namq; hominem spurcos ut vitet semper amores  
Admonet, ac illum servat ab igne uago.  
Atq; intra metas & sancti fœdera lecti  
Motus uxoris continet atq; Maris,  
Ne, quocunq; libet, procurrant more ferarum,  
Et levibus pennis more volucris eant.  
Quid? quod & à socio ducunt sua semina lecto  
Non aliunde, arces, oppida, templa, lares,  
Solem sustuleris, sacra si connubia tollas,  
Tolle Torum, quid erant sacra forumq; Nihil  
Hæc equidem longo vellem deducere verlu,  
Si mihi se facilem Phœbus Apollo daret.  
Fortunæq; vices varias, & deniq; summi  
Addere conaret Fata stupenda DEI.  
Qui præter solitum ducit sua membra tenorem,  
Et, quâ non sperant, liberat inde via,  
Tristia nam lætis & dulcia miscet amaris,  
Nec stabili semper res finit ire modo,  
Dum modo subducit quasi se, miserosq; periculis  
Objicit, & laxat turgida fræna mali,  
Nec prius apparet, quàm cum jam humana labascunt,  
Consilia, & supero vindice nodus eget.  
Ducit opem in longum, & votis contraria mittit  
Fata, piam explorans sicut in igne Fidem.

B 3

Mox

*Almanach von 1770  
ant. 1. Langens Weiden  
Jahrbuch.*

Mox, veluti roseus post tristia nubila Phoebus  
En! redit, & lachrymas tergit ab ore pio.  
Sic is, cum spirabat adhuc dilecta Benigna,  
Præbebatque tibi gaudia primus amor.  
Efferres animum rebus ne forte secundis,  
Immisit domui tristitia multa tuæ.  
Natos namq; tibi binos, vnamq; puellam  
Eripuit, rapidâ mors violenta manu.  
Nec contenta fuit tribus his, sed sustulit ipsam  
Confortem thalami Parca maligna tui.  
Quantus tunc luctus fuerit tibi, quiq; dolores,  
Non opus esse ullo submonitore puto.  
Verum jam lachrymas in plurima gaudia vertit,  
Omnipotens, cœli qui regit astra, Deus.  
Atq; aliam thalami lociam tibi reddit, & illa  
Ærumnis aderit grata medela tuis.  
Hæc, si Castalis puerilia labra rigassem  
Vndis, subjicerem, Sponse colende, tibi.  
Vena sed exiguo quoniam mea flumine natat,  
Et miser invitas osculor usq; Deas.  
Vota feram, rubris quæ sunt potiora lapillis  
Et superant quicquid voluit arena Tagi.  
Vota movent superos: leni Deus aure rogantum  
Verba capit: vanas nec finit esse preces.  
Sit tibi, Sponse, precor, mens sana in corpore sano  
Felicisque dies usque beatus agas.  
Gramina quot campi: quod reddit messis arista,  
Sidera quot lucent, nocte tacente, polo.  
Gargara quot Messes: quod mittunt thura Sabri,  
Poma quot Alcinoi nobilis hortus alit.  
Quot pinis salsas piscis lecat æquoris undas  
Quot tenerum pennis aëra pulsat av. s.

Tot



Tot fortunati sine morbo sint tibi menses,  
 Et vivas faustos tot sine nūbe dies.  
 Sit sine Lite torus: sit amor sine felle; coronet  
 Pax mentem, & cūstos limina seruet Amor.  
 Nec vos pestiferae lædant contagia noxæ:  
 Sed fuget à vobis noxia quæque DEVS.  
 Aspiret vobis vultu fortuna sereno,  
 Et seruet stabili fida tenore fidem.  
 Gramina non absint campis, & florida prata.  
 Mille ovium pascant agmina, mille boum.  
 Fœnore multiplici sibi credita semina spicis  
 Turgidulis, messis tempore, reddat ager.  
 Indultuque DEI, de vestro plurima lecto  
 Progenies, oleæ more feracis, eat.  
 Hæc inter vestram læti producite vitam,  
 Servantes summi iussa tremenda Dei.  
 Ac superes Pyliam vivendo, Sponse, senectam,  
 Sona Sibylinæ secula vatis agat.  
 Vivite concordēs, divino vivite tuti  
 Numine, quod vobis, Anchora, turris erit.  
 Quæ precor, eveniunt: Votis Deus annuit æquis,  
 Et precibus iustis pondus inesse iubet.

Thobias Hervvigijs, Fratri suo F.

*Psalmus CXXVIII.*

Commendans omnibus hominibus & imprimis conju-  
 gibus verum timorem DEI & manuum laborem,  
 utrumq; ad vitæ beatitudinem sum-  
 moperè necessariam.

Expositus ab eodem.

**O**ter beatum! pectore qui timet  
 Toto verendam cœlicolum Patrem,  
 Colitque eum, quo vult, honore,  
 Pendula corda gerens ab illo,

Quem

Quem non malorum pessima voculis  
Caterva falsis præcipitem, DEI  
A semitâ sanctoq̄ue verbo  
Traxit, & ad mala multa adegit.  
O te beatum! Nam tibi dexteræ  
Laborè victum, quisquis es, affatim,  
Parabis, & partis labore  
Ipse tuis opibus fruere.  
Te vitis instar, palmitibus domum  
Quæ cingit omni parte, tori pia  
Consort beabit liberorum  
Germine multiplici bonorum.  
Examem horum, non secus ac sui  
Mentem coloni nescia fallere,  
Oliva se diffundit agris,  
Luxuriatque solum per omne  
Mensæ replebit cornua divitis,  
Omni paratum tempore, sedulo  
Labris tenellis prædicare  
Summa Dei benefacta nostri.  
Hi nempe fructus hæc tua munera,  
Et summa vitæ commoda: quæ manent  
Eventibus rerum secundis  
Corde Deum ingenuo colentem.  
Rector Sionis, coelicolum parens,  
Largo benignus flumine, depluet,  
Imbrem bonorum in te, tuosque  
Collibus exteneris Sionis,  
Ut pace lætam progeniem Isaci  
Urbemque salvam perpetuam tuam,  
Natosque natorumque cernas  
Progeniem pariter beatam.

F I N I S.

Jf 4600

ULB Halle 3  
003 299 04X




sb.

V077







B.I.G.

Farbkarte #13

LXXIX

78

*Nuptiis secundis*

VERENDI,  
TRINA ET PIE-

RÆSTANTIS VIRI, Dn. STE-  
HERVVIGII, Verbi Dei Præconis  
gis Steutz & Rietzmick fidelissimi,  
C V M

a & honesta virgine, VRSVLA,  
li & docti Senis, Dn. Nicolai  
vigii, Pastoris in Schora vigilan-  
c Filia, Sponsa, Servestæ Calendis  
l, matrimonium contrahentis

Anno *1600*

na cum solenni votorum appreciatione  
nuncupata.

AB AMICIS.



SERVESTÆ

Excudebat Iohannes Schleer.

22.

